

magnum cbaas firmatum; sed nec apud Inferos esse dicti sunt. Tum cap. 34. postquam dixit, Paradisum dici posse Tertium Cælum, quo raptus fuit Apostolus, addidit: *Quanto magis ergo POST HANC VITAM etiam SINUS ILLE ABRAHÆ PARADISUS DICI POTEST, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta Requies post omnes dolores vitæ hujus? Neque enim Æ LUX IBI non est propria quædam, Æ sui generis, Æ profecto MAGNA &c.* Hæc etiam infra adtexit: *Quapropter Animæ illius Latronis, cui dixit: Hodie mecum eris in Paradiso, non utique Inferis præstitit, ubi Pœnæ sunt peccatorum; sed aut illam REQUIEM SINUS ABRAHÆ; non enim alicubi non est Christus, quum ipse sit Sapientia Dei, attingens ubique; aut illum PARADISUM, sive IN TERTIO COELO, seu ubicumque alibi est, quo post Tertium Cælum est raptus Apostolus; si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, UBI SUNT ANIMÆ BEATORUM.* Si vero nomine Tertii Cæli summum illud Cælum intelligimus, ubi Anima ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum ineffabiliter valeat videre Æ audire: non incongruenter arbitramur, Æ illuc esse Apostolum raptum, Æ iti fortassis esse Paradisum omnibus meliorem, Æ si dici oportet, Paradisum Paradisorum. Ita nempe in divinis Libris occurrit etiam Cælum Cæli, Æ Cali Cælorum. Hec Augustinus qui concordi sententia Tractat. xci. in Jo: Evangel. de Domino Paradisum promittente Latroni ait: *Secundum id, quod homo erat, Anima ejus ipso die futura erat in Inferno, Caro in Sepulcro. Secundum autem id, quod Deus erat, utique Æ in Paradiso erat, Et ideo LATRONIS ANIMA, a pristinis facinoribus absoluta Æ illius minere jam BEATA, & quamvis ubique sicut ille esse non poterat; tamen etiam ipso die cum illo IN PARADISO ESSE POTERAT, unde ille, qui ubique semper est, non recesserat. Propterea nimirum non ei satis fuit dicere: Volo, ut, ubi ego sum, Æ illi sint, sed addidit Mecum. Nichil profecto intelligit, qui non intelligit, Augustinum firmissime credidisse, beatum illum Latronem adductum fuisse in locum inestimabilis Beatitudinis, in quo speciali modo Divinitas præsens, simulque visibilis esset. Quid enim novi, aut singularis Beatitatis pollicitus illi fuisset unigenitus Dei Filius, si non alia in Paradiso foret præsentia Divinitatis, quam quæ ubique in universitate creaturæ est; nu llis mortalium oculis spectabilis? Idem quoque factum de Stephano Protomartyre scribit Augustinus Serm. cccxix. alias 51. de Divers. ubi illum dicentem inducit: *Domine Jesu, accipe Spiritum meum. Fecisti me victorem, recipe in triumphum. Dic Spiritui meo: intra in gaudium Domini tui. Hoc est enim: Accipe Spiritum meum. Sed Spiritum illius quo accepit Jesus? In quam Mansionem, in quod Cælum Cæli? quis comprehendit? quis explicat? Vis audire compendio? Audi ipsum Christum: Pater, volo, ut ubi ego sum, Æ illi sint mecum. Esse, ubi est Christus, quæ potest comprehendere cogitatio? Cujus ad hoc explicandum sufficit sermo? Atque heic obiter animadvertere, non aliter in his duobus locis Augustinum interpretari, quam ego supra cap. III. fuerim interpretatus, verba Domini in Evangelio Jo: xvii. 24. Rursus autem, quid sit esse cum**